

19th Sunday after Pentecost – Matt 22:1-14

IN illo témpore: Loquebátur Jesus principíbus

sacerdótum et pharisæis in parábolis dicens: Simile

factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit

núptias filio suo. Et misit servos suos vocáre

invitátos ad núptias, et nolébant venire. Iterum

misit álios servos, dicens: Dícite invitátis: Ecce

prándium meum parávi, tauri mei et altília occísa

sunt, et ómnia paráta: veníte ad núptias. Illi autem

neglexérunt: et abiérunt, álius in villam suam, álius

vero ad negotiatiómem suam: réliqui vero tenuérunt
servos ejus, et contuméliis afféctos occidérunt. Rex
autem cum audisset, irátus est: et, missis
exercítibus suis, pérdidit homicidas illos et
civitátem illórum succéndit. Tunc ait servis suis:
Núptiæ quidem parátæ sunt, sed qui invitáti erant,
non fué runt digni. Ite ergo ad éxitus viárum et
quoscumque invenéritis vocáte ad núptias. Et
egréssi servi ejus in vias, congregavérunt omnes
quos invenérunt, malos et bonos: et implétæ sunt

núptiæ discumbéntium. Intrávit autem rex ut
vidéret discumbéntes, et vidit ibi hóminem non
vestítum veste nuptiáli. Et ait illi: Amice, quómodo
huc intrásti non habens vestem nuptiálem? At ille
obmútuit. Tunc dixit rex minístris: Ligátis mánibus
et pédibus ejus, mittite eum in ténebras exterióres:
ibi erit fletus et stridor déntium. Multi enim sunt
vocáti, pauci vero élécti.